CANDIDO LECTORI

IOANNES GREGORIVS MACER PHILOſophus & Medicus, Spiritum Pietatis, Synceritatis, Intellectus, & Solertis laboris, cum Salute, precatur.

ADMIRABERIS LECTOR AMICE, fortaſsis aũt etiã dãnaueris editionem hanc Myſteriorum Naturæ, Magnalium DEI, Magiſteriorum Medicinæ, Scientiæ operationum Præparatiuarum, Lucis deniq; ipſius totius Philoſophiæ et Medicinæ Theophraſticæ communicationem. Quis enim non admiretur, potuiſſe aliquando Adamũ Schröterũ eò adduci rationibus hominum magnorum, et amicorũ petitionibus, ac perſuaſionibus plurium adhortationum, vt tantum DEI et Naturæ Myſteriorũ, Magnalium, atq; Secretorum theſaurum, nõ ſolum Teutonicæ nationi, ampliſsimæq; Germaniæ, qua videlicet lingua ab ipſo Authore Theophraſto ſcriptus eſt, exhiberet: ſed, quod maximum eſt, omniq; laude dignũ, purè ac ſumma fide et diligentia, latine redditũ toti propemodũ mundo communicaret? Magna certè laus eſt, tãta erga Deum ac proximum duci pietate, vt neq; Dei Maieſtati in ſuis Magnalibus, dum publicã-